Amor proximi. Vide dilectio proximi.

TITULUS XXXIX.

Angeli & eorum miniſterium & natura.

CUmque inveniſſet eam Angelus Domini juxta fontem aquæ in ſolitudine, qui eſt in via Sur in deſerto, dixit ad illam: Agar ancilla Sarai, unde venis? & quo vadis? quæ reſpondit: A facie Sarai dominæ meæ ego fugio. Dixitque ei Angelus Domini: Revertere ad dominam tuam, & humiliare ſub manu illius. *Gen. 16. v. 7. 8. 9.*

Apparuit autem ei Dominus in convalle Mambre, ſedenti in oſtio tabernaculi ſui, in ipſo fervore diei. Cumque elevaſſet oculos, apparuerunt ei tres viri ſtantes prope eum: quos cum vidiſſet, cucurrit in occurſum eorum de oſtio tabernaculi, & adoravit in terram. *Ibid. 18. 1. Vide & Ebr. 13. 2.*

Angeli, hoſpites apud Loth, ipſum violenter, ſed pie, quaſi ex Sodoma extraxerunt, ut evadat periculum. Gen. 19.

Exaudivit autem Deus vocem pueri: Vocavitque Angelus Dei Agar de cælo dicens: Quid agis Agar? noli timere: exaudivit enim Deus vocem pueri de loco in quo eſt. *Ibid. 21. 17.*

Et ecce Angelus Domini de cælo clamavit dicens: Abraham, Abraham. Qui reſpondit: Adſum. Dixitque ei: Non extendas manum tuam ſuper puerum, neque facias illi quidquam: nunc cognovi quod times Deum, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me, &c. *Ibid. 22. 11. Vid.* & v. 13.

Dixitque Abraham: Cave ne quando reducas filium meum illuc. Dominus Deus cæli, qui tulit me de domo patris mei, & de terra nativitatis meæ, qui locutus eſt mihi, & juravit mihi dicens: Semini tuo dabo terram hanc: ipſe mittet Angelum ſuum coram te, & accipies inde uxorem filio meo. *Ibid. 24. 6.*

Viditque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cælum: Angelos quoque Dei aſcendentes & deſcendentes per eam: & Dominum innixum ſcalæ dicentem ſibi: Ego ſum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Iſaac: terram, in qua dormis, tibi dabo & ſemini tuo. Eritque ſemen tuum, quaſi pulvis terræ: dilataberis ad Occidentem & Orientem, & Septentrionem & Meridiem: & benedicentur in te, & in ſemine tuo cunctæ tribus terræ. *Ibid. 28. 12.*

Dixitque Angelus Dei ad me in ſomnis: Jacob. Et ego reſpondi, adſum. Qui ait: Leva oculos tuos, & vide univerſos maſculos aſcendentes ſuper feminas, varios, maculoſos atque reſperſos. Vidi enim omnia, quæ fecit tibi Laban. *Ibid. 31. 11.*

Jacob quoque abiit itinere, quo cœperat: fueruntque ei obviam Angeli Dei. Quos cum vidiſſet, ait: Caſtra Dei ſunt hæc: appellavit nomen loci iſtius Mahanaim, id eſt caſtra. *Ibid. 32. 1. Vide* & v. 24.

Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis: & invocetur ſuper eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham & Iſaac: & creſcant in multitudinem ſuper terram. *Ibid. 48. 16.*

Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio Rubi, & videbat quod Rubus arderet, & non combureretur. *Exod. 3. 2.* Actor. 7. 39.

Dominus autem præcedebat eos ad oſtendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, ut dux eſſet itineris utroque tempore. *Ibid. 13. 21.*

Tollenſque ſe Angelus Dei qui præcedebat caſtra Iſrael, abiit poſt eos: & cum eo pariter columna nubis, priora dimittens poſt tergum. *Ibid. 14. 19.*

Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat in via, & introducat in locum, quem paravi. Obſerva eum, & audi vocem ejus, nec contemnendum putes: quia non dimittet cum peccaveris, & eſt nomen meum in illo. *Ibid. 23. 20.*

Tu autem vade, & duc populum iſtum, quo locutus ſum tibi: Angelus meus præcedet te. *Ibid. 32. 34.*

Et mittam præcurſorem tui Angelum, & ejiciam Chananæum, & Amorrhæum, & Ethæum, & Pherezæum, & Hevæum, & Jebuſæum, & intres in terram fluentem lacte & melle. *Ibid. 33. 2.*

Et quomodo clamaverimus ad Dominum, & exaudierit nos, miſeritque Angelum, qui eduxerit nos de Ægypto. *Num. 20. 16.*

Et iratus eſt Deus. Stetitque Angelus Domini in via contra Balaam, qui inſidebat aſinæ, & duos pueros habebat ſecum. Cernens aſina Angelum ſtantem in via evaginato gladio, avertit ſe de itinere, & ibat per agrum. Quam cum verberaret Balaam, & vellet ad ſemitam reducere, ſtetit Angelus in anguſtiis duarum maceriarum, quibus vineæ cingebantur. *Ibid. 22. 22.*

Cum autem eſſet Joſue in agro urbis Jericho, levavit oculos, & vidit virum ſtantem contra ſe, evaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum, & ait: Noſter es: an adverſariorum? Qui reſpondit: Nequaquam: ſed ſum princeps exercitus Domini, & nunc venio. Cecidit Joſue pronus in terram. Et adorans ait: Quid Dominus meus loquitur ad ſervum ſuum? *Joſue 5. 13.*

Aſcenditque Angelus Domini de Galgalis ad locum flentium & ait: Eduxi vos de Ægypto, & introduxi in terram, pro qua juravi patribus veſtris: & pollicitus ſum, ut non facerem irritum pactum meum vobiſcum uſque in ſempiternum. *Judic. 2. 1.*

Maledicite terræ Meroz, dixit Angelus Domini: maledicite habitatoribus ejus, quia non venerunt ad auxilium Domini, in adjutorium fortiſſimorum ejus. *Ibid. 5. 23.*

Venit autem Angelus Domini, & ſedit ſub quercu, quæ erat in Ephra, & pertinebat ad Joas patrem familiæ Ezri. Cumque Gedeon filius ejus excuteret, atque purgaret frumenta in torculari, ut fugeret Madian, apparuit ei Angelus Domini, & ait: Dominus tecum virorum fortiſſime. *Ibid. 6. 11. Vide* & v. 20.

Cui apparuit Angelus Domini, & dixit ad eam: Sterilis es, & abſque liberis: ſed concipies & paries filium, &c. *Ibid. 13. 3. Vide* & v. 49.

Scio, quia bonus es tu in oculis meis, ſicut Angelus Dei. *1. Reg. 29. 9. Vide etiam* 2. Reg. 14. 17. & 20. *& ibidem* c. 19. 27. Eſther, c. 15. v. 16. Zach. 12. 8. ad Galat. 4. 14.

Cumque extendiſſet manum ſuam Angelus Domini ſuper Jeruſalem, ut diſperderet eam, miſertus eſt Dominus ſuper afflictione, & ait Angelo percutienti populum: Sufficit: nunc contine manum tuam. Erat autem Angelus Domini juxta aream Areuna Jebuſæi: Dixitque David ad Dominum, cum vidiſſet Angelum cædentem populum: Ego ſum qui peccavi, ego inique egi: iſti, qui oves ſunt, quid fecerunt? vertatur, obſecro, manus tua contra me, & contra domum patris mei. *2. Reg. 24. 16.*

Qui ait illi: Et ego Propheta ſum ſimilis tui: & Angelus locutus eſt mihi in ſermone Domini, dicens: Reduc eum tecum in domum tuam, ut comedat panem & bibat aquam. *3. Reg. 13. 18.*

Projecitque ſe & obdormivit in umbra Juniperi: & ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: Surge & comede. Reſpexit, & ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis & vas aquæ. Comedit ergo, & bibit, & rurſum obdormivit, &c. *Ibid. 19. 5.*

Angelus autem Domini locutus eſt ad Eliam Teſbitem dicens: Surge & aſcende in occurſum nuntiorum regis Samariæ, & dices ad eos: Numquid non eſt Deus in Iſrael, ut eatis ad conſulendum Beelzebub deum Accaron? *4. Reg. 1. 3.*

Locutus eſt autem Angelum Domini ad Eliam dicens: Diſcende cum eo, ne timeas. Surrexit igitur, & deſcendit cum eo ad regem. Et locutus eſt ei, &c. *Ibid. v. 15.*

Factum eſt igitur in nocte illa, venit Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia, &c. *Ibid. 19. 35.*

Miſit quoque Angelum in Jeruſalem, ut percuteret eam. Cumque percuteretur, vidit Dominus, & miſertus eſt ſuper magnitudine mali, & imperavit Angelo, qui percutiebat. Sufficit, jam ceſſet manus tua. *1. Paral. 21. 15. Vide* & v. 16.

Et miſit Dominus Angelum, qui percuſſit omnem virum robuſtum & bellatorem, & principem exercitus regis Aſſyriorum. *2. Paral. 32. 21.*

Et miſſus eſt Angelus Domini, ſanctus Raphael, ut curaret eos ambos, &c. *Tob. 3. 25.*

Idem Angelus Raphael fuit dux Tobiæ, qui & eripuit eum a devoratione piſcis: uxorem ejus a dæmonio: Tobiæ ſeniori cæco viſum reſtituit: & alia exhibuit grata & accepta. Ibid. c. 5. Vide c. 6. 7. & 8. *& reliqua. Item* Iudith 13. 10.

Credo enim, quod Angelus Dei bonus comitetur ei, & bene diſponat omnia, quæ circa eum geruntur, ita ut cum gaudio revertatur ad nos. *Tob. 5. 27.*

Angeli hortatu Tobias invadentem piſcem apprehendit, & exenterat cor ejus, fel & jecur ad medicamenta reſervans: & ad Raguelem divertunt, ut juſſu Angeli petat in uxorem illius filiam Saram, cujus ſeptem viros occiderat dæmonium, diſcens ab Angelo, quo fine ſuſcipiendum ac ſervandum ſit conjugium. Ibid. 6.

Raphael Tobiæ rogatu ad Gabellum pergit, quem recepta pecunia ad Tobiæ nuptias adducit, ille autem Tobiæ ac Saræ benedicit. Ibid. 9.

Tobias cum filio de mercede Raphaelis conſultans, auditis quæ ſibi ac filio præſtiterat beneficiis, medietatem offert omnium, quæ attulerant; at ille ſe Dei Angelum declarat, & poſt multa alia revelata myſteria in cælum ſublevatur: quo facto, illi in terram proni ruentes, Deum benedicunt, &c. Ibidem 12.

Vivit autem Dominus, quoniam cuſtodivit me Angelus ejus, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc revertentem: & non permiſit me Dominus ancillam ſuam coinquinari, ſed ſine pollutione peccati revocavit me vobis, gaudentem in victoria ſua, in evaſione mea, & in liberatione veſtra. *Judith 13. 20.*

Si fuerit pro eo Angelus loquens ... miſerebitur ejus. *Job 33. 23. 24.*

Cum ſublatus fuerit, timebunt Angeli, & territi purgabuntur. *Ibid. 41. 16.*

Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum: & eripiet eos. *Pſalm. 33. 8.*

Fiat tamquam pulvis ante faciem venti, & Angelus Domini coarctans eos. Fiat via illorum tenebræ & lubricum: & Angelus Domini perſequens eos. *Pſal.* 34. 5. 6.

Quoniam Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis. *Pſal.* 90. 11. *Vid.* Matth. 4. 6. Luc. 4. 10.

Adorate Deum omnes Angeli ejus. *Item* 96. 8.

Benedicite Domino omnes Angeli ejus: potentes virtute, facientes verbum illius; ad audiendam vocem ſermonum ejus. *Pſal.* 102. 20.

Qui facit Angelos tuos, ſpiritus: & miniſtros tuos ignem urentem. Ibid. 103. 4.

Domine, in conſpectu Angelorum pſallam tibi. *Pſal.* 137. 2. Pſal. 148. 2.

Laudate eum omnes Angeli ejus: laudate eum omnes virtutes ejus. *Pſal.* 148. 2.

Semper jurgia quærit malus: Angelus autem crudelis mittetur contra eum. *Prov.* 17. 11.

Neque dicas coram Angelo: Non eſt providentia. *Eccle.* 5. 5.

Dejecit caſtra Aſſyriorum, & contrivit illos Angelus Domini. *Eccli.* 48. 24.

Et volavit ad me unus de Seraphim, & in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari. *Iſa.* 6. 6.

Ite Angeli veloces ad gentem convulſam, & dilaceratam &c. *Ibid.* 18. 2.

A voce Angeli fugerunt populi &c. *Ibid.* 33. 3.

Angeli pacis amare flebunt. *eodem c.* v. 7.

Egreſſus eſt autem Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia virorum. *Ibid.* 37. 36.

In omni tribulatione eorum non eſt tribulatus, & Angelus faciei ejus, ſalvavit eos &c. *Ibid.* 63. 9.

Angelus enim meus vobiſcum eſt: ipſe autem exquiram animas veſtras. *Baruch* 6. 6.

Angelus autem Domini deſcendit cum Azaria & ſociis ejus in fornacem: & excuſſit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis, quaſi medium roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contriſtavit, neque quidquam moleſtiæ intulit. *Dan.* 3 49. *&* v. 58. *&* 59.

Deus meus miſit Angelum ſuum, & concluſit ora leonum, & non nocuerunt mihi: quia coram eo juſtitia inventa eſt in me: ſed & coram te rex, delictum non feci. *Ibid.* 6. 22.

Et audivi vocem viri inter Ulai: & clamavit, & ait: Gabriel fac intelligere iſtam viſionem. Et venit, & ſtetit juxta, ubi ego ſtabam, &c. *Ibid.* 8. 16.

Adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel, quem videram in viſione a principio, cito volans tetigit me in tempore ſacrificii veſpertini, &c. *Ibid.* 9. 21.

Et levavi oculos meos, & vidi: & ecce vir unus veſtitus lineis, & renes ejus accincti auro obrizo: & corpus ejus quaſi chryſolithus, &c. *Ibid.* 10. 5. *Vid.* & v. 10. & 16.

In tempore autem illo conſurget Michael Princeps magnus, qui ſtat pro filiis populi tui, & veniet tempus quale non fuit ab eo, ex quo gentes eſſe cœperunt uſque ad tempus illud. *Ibid.* 12. 1.

Ecce enim Angelus Dei, accepta ſententia ab eo, ſcindet te medium. *Dan.* 13. 55.

Manet enim Angelus Dei gladium habens, ut ſecet te medium, & interficiat vos. *eodem c.* v. 59.

Dixitque Angelus ad Habacuc: Fer prandium, quod habes, in Babylonem Danieli, qui eſt in lacu leonum. *Ibid.* 14. 33. *Vide* & v. 35. & 38. *Sic etiam Angeli multa & magna myſteria Danieli revelaverunt. Vide* cap. 9. & 10. & 11.

Et in fortitudine ſua directus eſt cum Angelo &c. *Oſee* 12. 3.

Et dixit ad me Angelus, qui loquebatur in me: Ego oſtendam tibi, quid ſint hæc. *Zach.* 1. 9. *Vide etiam* v. 11. & v. 19.

Et ecce Angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur, & Angelus alius egrediebatur in occurſum ejus. *Ibid.* 2. 3.

Et conteſtabatur Angelus Domini Jeſum, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum: Si in viis meis ambulaveris, & cuſtodiam meam cuſtodieris; tu quoque judicabis domum meam, & cuſtodies atria mea &c. *Ibid.* 3. 6.

Et reverſus eſt Angelus, qui loquebatur in me, & ſuſcitavit me, quaſi virum, qui ſuſcitatur de ſomno ſuo. *Ibid.* 4. 1.

Et egreſſus eſt Angelus, qui loquebatur in me, & dixit ad me: Leva oculos tuos, & vide, quid eſt hoc quod egreditur, &c. *Ibid.* 5. 5. Et dixi ad Angelum, qui loquebatur in me: Quo iſtæ deferunt amphoram? & dixit ad me, ut ædificetur ei domus in terra Sennaar, & ſtabiliatur & ponatur ibi ſuper baſem ſuam. 10.

Et reſpondi, & dixi ad Angelum, qui loquebatur in me: quid ſunt hæc Domine mi? & reſpondit Angelus, & ait ad me: Iſti ſunt quatuor venti cæli, qui egrediuntur, ut ſtent coram Dominatore omnis terræ. *Ibid.* 6. 4.

Labia enim Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum eſt. *Malach.* 2. 7.

Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. Et ſtatim veniet ad templum ſuum Dominator, quem vos quæritis: & Angelus teſtamenti, quem vos vultis. *Ibid.* 3. 1.

Exiit Angelus, & percuſſit ex eis (*in caſtris Sennacherib*) centum octoginta quinque millia. 1. *Mach.* 7. 4. *Vide etiam* 2. Machab. 15. 22.

Cum fletu & lacrimis rogabant Dominum & omnis turba ſimul, ut bonum Angelum mitteret ad ſalutem Iſrael. 2. *Mach.* 11. *Vid.* & 2. Mac. 15. 23.

Apparuit præcedens eos eques in veſte candida, armis aureis haſtam vibrans. *eodem c.* v. 8.

Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis ei dicens: Joſeph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt, &c. *Matth.* 1. 20. uſque ad v. 25.

Qui cum receſſiſſent, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph, dicens: Surge & accipe puerum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum: & eſto ibi uſque dum dicam tibi. Futurum eſt enim, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum. *Ibid.* 2. 13. Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph in Ægypto, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & vade in terram Iſrael, &c. 19.

Tunc reliquit eum diabolus: & ecce Angeli acceſſerunt & miniſtrabant ei. *Ibid.* 4. 11. *Vid. &* Marc. 1. 13.

Hic eſt enim de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam qui, &c. *Ibid.* 11. 10. Marc. 1. 2. Luc. 7. 27.

Meſſores autem, Angeli ſunt. *Ibid.* 13. 39.

Mittet filius hominis Angelos ſuos, & colligent de regno ejus omnia ſcandala, & eos qui faciunt iniquitatem: & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus & ſtridor dentium. *Ibid.* 13. 41.

Sic erit in conſummatione ſæculi: exibunt Angeli & ſeparabunt malos de medio juſtorum. *Ibid.* 13. 49. *Vid. &* Marc. 13. 27.

Filius hominis venturus eſt in gloria patris ſui cum Angelis ſuis, & tunc reddet unicuique ſecundum opera ejus. *Ibid.* 16. 27.

Videte ne contemnatis unum ex his puſillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum in Cælis ſemper vident faciem patris mei, qui in cælis eſt. *Ibid.* 18. 10.

In reſurrectione enim neque nubent neque nubentur: ſed erunt ſicut Angeli Dei in cælo. *Ibid.* 22. 30. *Vide &* Marc. 12. 25. *item* Lucæ 20. 36.

Et mittet Angelos ſuos cum tuba, & voce magna: & congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a ſummis cælorum uſque ad terminos eorum. *Ibid.* 24. 31.

Diem judicii neque Angeli ſciunt. Ibid. 24. 36. *Vide &* Marc. 13. 32.

Angeli cum Filio Dei in Majeſtate ſua venient. Ibid. 25. 31. *Vide &* Luc. 9. 26. *item* 2. Theſſal. 1. 7.

An putas, quia non poſſum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo pluſquam duodecim legiones Angelorum? *Ibid.* 26. 53.

Et ecce, terræ motus factus eſt magnus: Angelus enim Domini deſcendit de cælo, & accedens revolvit lapidem, & ſedebat ſuper eum. *Ibid.* 28. 2.

De die autem illo vel hora nemo ſcit, neque Angeli in cælo, neque Filius, neque Pater. *Marc.* 13. 32.

Ait autem ad illum Angelus. Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita eſt deprecatio tua: & uxor tua Eliſabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Joannem. *Luc.* 1. 13. Et reſpondens Angelus dixit ei: Ego ſum Gabriel, qui aſto ante Deum: & miſſus ſum loqui ad te, &c. *Ibid.* 19. Et ingreſſus Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum, &c. *Ibid.* 28.

Et ecce Angelus Domini ſtetit juxta illos, & claritas Dei circumfulſit illos, & timuerunt timore magno. Et dixit illis Angelus: Nolite timere: Ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo. *Ibid.* 2. 9. Et factum eſt, ut diſceſſerunt ab eis Angeli in cælum: paſtores loquebantur ad invicem: Tranſeamus uſque Bethlehem, &c. *Ibid.* 15. *Vide* v. 21.

Dico autem vobis: Omnis quicumque confeſſus fuerit me coram hominibus, & Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei: qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei. *Ibid.* 12. 8.

Gaudium erit coram Angelis Dei, ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. *Ibid.* 15. 10.

Factum eſt autem ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ: mortuus eſt autem & dives, & ſepultus eſt in inferno. *Ibid.* 16. 22.

Apparuit autem illi Angelus de cælo confortans eum. Et factus in agonia prolixius orabat. *Ibid.* 22. 43.

Et dicit ei: Amen amen dico vobis, videbitis cælum apertum, & Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes ſupra Filium hominis. *Joan.* 1. 51.

Angelus autem Domini deſcendebat ſecundum tempus in piſcinam: & movebatur aqua. Et qui prior deſcendiſſet in piſcinam poſt motionem aquæ, ſanus fiebat a quacumque detinebatur infirmitate. *Ibid.* 5. 4.

Turba ergo, quæ ſtabat & audierat, dicebat tonitruum eſſe factum. Alii dicebant: Angelus ei locutus eſt. *Ibid.* 12. 29.

Et vidit duos Angelos in albis ſedentes unum ad caput, & unum ad pedes, ubi poſitum fuerat Corpus Jeſu. *Joan.* 20. 12.

Cumque intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo viri aſtiterunt juxta illos in veſtibus albis, qui & dixerunt. Viri Galilæi quid ſtatis, &c. *Actor.* 1. 10.

Angelus autem Domini per noctem aperiens januas carceris, & educens eos, dixit: Ite & ſtantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ hujus. *Ibid.* 5. 19.

Et intuentes eum omnes, qui ſedebant in concilio, viderunt faciem ejus tamquam faciem Angeli. *Ibid.* 6. 15.

Et expletis annis quadraginta apparuit illi in deſerto montis Synai Angelus in igne flammæ rubi *Ibid.* 7. 30. *Vide* & v. 35. 38.

Qui accepiſtis legem in diſpoſitione Angelorum. *Ibid.* 7. 53.

Angelus autem Domini locutus eſt ad Philippum dicens: Surge & vade contra meridianum, ad viam, quæ deſcendit ab Jeruſalem in Gazam: hæc eſt deſerta. *Ibid.* 8. 26.

Is vidit in viſu manifeſte, quaſi hora diei nona, Angelum Dei introeuntem ad ſe, & dicentem ſibi: Corneli. *Ibid.* 10. 3.

Narravit autem nobis, quomodo vidiſſet Angelum in domo ſua, ſtantem, & dicentem ſibi: Mitte in Joppen, & accerſi Simonem, qui cognominatur Petrus, &c. *Ibid.* 11. 13.

Et ecce, Angelus Domini aſtitit: & lumen refulſit in habitaculo: percuſſoque latere Petri excitavit eum dicens: Surge velociter: Et ceciderunt catenæ de manibus ejus, &c. *Ibid.* 12. 7.

Sadducæi enim dicunt, non eſſe reſurrectionem, neque Angelum, neque ſpiritum. *Ib.* 23. 8. *Vid.* & v. 9.

Aſtitit enim mihi hac nocte Angelus Dei, cujus ſum ego, & cui deſervio. *Ibid.* 27. 23.

Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, &c. neque alia creatura poterit nos ſeparari a caritate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro. *Rom.* 8. 38.

Apoſtoli Angelos judicabunt. 1. *Cor.* 6. 3.

Mulier ideo debet poteſtatem habere ſupra caput, propter Angelos. *Ibid.* 11. 10.

Ipſe enim Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis. 2. *Cor.* 11. 14.

Angelus Satanæ colaphizat Paulum, Ibid. 12. 7.

Sed licet nos, aut Angelus de cælo aliud evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit. *Galat.* 1. 8.

Quid igitur Lex? Propter tranſgreſſiones poſita eſt, donec veniret ſemen, cui promiſerat, ordinata per Angelos in manu mediatoris. *Ibid.* 3. 19.

Nemo vos ſeducat, volens in humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ. *Coloſ.* 2. 18.

Et manifeſte magnum eſt pietatis Sacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, juſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt Gentibus, creditum eſt in mundo, aſſumptum eſt in gloria. 1. *Tim.* 3. 16.

Teſtor coram Deo & Chriſto Jeſu, & electis Angelis, ut hæc cuſtodias ſine præjudicio, nihil faciens in alteram partem declinando. *Ibid.* 5. 21.

De differentia inter Chriſtum & Angelos. Hebr. 1. 4. *uſque ad* 14.

Sermo per Angelos dictus, factus eſt firmus. Ibid. 2. 2. *Vide etiam* v. 5. 7. 9. 16. *Differentiam inter Chriſtum, Angelos, & homines.*

Sed acceſſiſtis ad Sion montem, & civitatem Dei viventis, Jeruſalem cæleſtem, & multorum millium Angelorum frequentiam. *Hebr.* 12. 22.

Et hoſpitalitatem nolite oblivisci, per hanc enim placuerunt quidam, Angelis hoſpitio receptis. *Ibid.* 13. 2.

In Chriſtum deſiderant Angeli proſpicere. 1. *Pet.* 1. 12.

Chriſto homini ſubjecti ſunt Angeli. Ibid. 3. 22.

Deus Angelis peccantibus non pepercit. 2. *Pet.* 2. 4. *Vid.* & Judæ v. 6.

Ubi Angeli fortitudine & virtute cum ſint majores, non portant adverſus ſe execrabile judicium. *Ibid.* 2. 11.

Cum Michael Archangelus cum diabolo diſputans, altercaretur de Moyſi corpore, non eſt auſus judicium inferre blaſphemiæ, ſed dixit: Imperet tibi Dominus. *Jud.* 9.

Significavit Deus, quæ oportet fieri cito, mittens per Angelum ſuum ſervo ſuo Joanni NB. *Apoc.* 1. 1. *Totus liber hic eſt plenus revelantibus angelicis. Vide* cap. 5. v. 2. & 11. cap. 6. 7. cap. 7. 1. v. c. 8. 2. 3. v. c. 9. 1. 11. 13. v. cap. 10. 1. 5. 7. 8. 9. v. cap. 11. 15. cap. 12. 1. cap. 14. 6. 8. 9. 10. 15.

Angeli ſeptem Eccleſiarum, Ibid. v. 20. *nempe Epheſi.* 2. 1. *Smyrnæ.* 2. 8. *Pergami* 2. 12. *Thyatiræ* 2. 18. *Sardis* 3. *Philadelphiæ* 3. 7. *Laodiceæ* 3. 14.

Confitebor nomen ejus coram Patre meo, & coram Angelis ejus. *Ibid.* 3. 5. *Vide etiam* c. 15. 1. 6. 7. 8. c. 16. 1. 3. 5. 8. 10. 12. c. 17. 1. 7. c. 18. 1. 21. c. 19. 17. c. 20. 1. c. 21. 9. 12. 17. c. 22. 6. 8.

Angeli

Angeli boni confortant deficientes.

U*Nde Angelus ancillæ Saræ in deſerto fontem oſtendit. Gen.* 21. 19.
Sic Eliæ aquam & panem. 3. *Reg.* 19. 5.
Daniel prandium Habacuc in lacum leonum in Babylone è Judæa apportavit. Dan. 30.

Flagellant prævaricantes.

D*Eus per Angelos populum peſtilentia percuſſit ob peccatum David, ſeptuaginta millium virorum.* 2. *Reg.* 24. 15.

Factum eſt igitur in nocte illa, venit Angelus Domini, & percuſſit de caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia. 4. *Reg.* 19. 35.

Heliodorum templum ſpoliare volentem graviter ceciderunt. 2. *Mach.* 3. 25.

Confeſtim autem percuſſit eum (*Herodem*) Angelus Domini, eo quod non dediſſet honorem Deo: & conſumptus a vermibus expiravit. *Actor.* 12. 23.

Gratificant orantes.

Q*Uando orabas cum lacrimis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abſcondebas per diem in domo tua, & nocte ſepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. *Tob.* 12. 12.

Si fuerit pro eo Angelus loquens unus de millibus, ut annuntiet hominis æquitatem: miſerebitur ejus & dicet: Libera eum, ut non deſcendat in corruptionem: inveni in quo ei propitier. *Job* 33. 23.

Et alius Angelus venit, & ſtetit ante altare... & aſcendit fumus incenſorum de orationibus ſanctorum. *Apoc.* 8. 3.

Honorat decedentes.

FActum eſt autem, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. *Luc.* 16. 22.

Juvant certantes.

U*Ti Angelus ſub nube ſe inter caſtra Ægyptiorum & Iſrael poſuit, Joſue* 5. 13.
Tollenſque ſe Angelus Domini. *Exod.* 14. v. 19. *Sic Joſue Angelum in agro evaginatum tenentem gladium vidit.* Cum autem eſſet Joſue in agro: Joſue 5. v. 13. *Sic precibus Eliſæi puer ejus montem plenum equorum & curruum igneorum in circuitu vidit Eliſæi.* Cumque oraſſet Eliſæus. 4. Regum 6. verſ. 17.

Deus meus, miſit Angelum ſuum, & concluſit ora leonum, & non nocuerunt mihi: quia coram eo juſtitia inventa eſt in me. *Dan.* 6. 22. *Sic Machabæo apparuit præcedens equus in veſte candida, armis aureis haſtam vibrans* 2. Mach. 11. v. 8. Ut autem Machabæus. *Ibid.* v. 6. *Liberavit Apoſtolos è carcere.* Actor. 5. v. 22. *Sic Petrum* Act. 12. 7.

Mali Angeli hominibus moliuntur fraudelenter.

U*Nde Evam natura & ſexu infirmiorem callide ſolam, & ſimplici aggreſſus eſt quæſtione diabolus. Gen.* 3.

Ut non circumveniamur a Satana: non enim ignoramus cogitationes ejus. 1. *Cor.* 2. 11.

Ipſe Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis. *Ibid.* 12. 14.

Omnes quantumcumque ſanctos tentant.

VEnit enim princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam. *Joan.* 14. 30.
Tunc Jeſus ductus eſt in deſertum a ſpiritu, ut tentaretur a diabolo. *Matth.* 4. 1.

Et conſummata omni tentatione, diabolus receſſit ab illo uſque ad tempus. *Luc.* 4. 13.

Et cœna facta cum diabolus jam miſiſſet in cor, ut traderet eum Judas Simonis Iſcariotes. *Joan.* 13. 2.

Sobrii eſtote & vigilate, quia adverſarius veſter diabolus tamquam leo rugiens, &c. 2. *Petr.* 5. 8.

Horribiliter aggrediuntur.

S*Ic Job nedum in ſubſtantia, prole, & corpore, ſed quam maxime in anima per blaſphemiam lædere ſtuduit. Job* 1.

Sed extende paullulum manum tuam, & tange cuncta, quæ poſſidet, niſi in faciem benedixerit tibi. *Ibid.* 1. 11.

Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima ſua. Alioquin mitte manum tuam, & tange os ejus & carnem, & tunc videbis, quod in faciem benedicat tibi. *Ibid.* 2. 4.

Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei, qui factus eſt, ut nullum timeret. Omne ſublime videt: ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. *Ibid.* 41. 24.

Sunt ſpiritus, qui ad vindictam creati ſunt, & in furore ſuo confirmaverunt tormenta ſua: in temporis conſummationis effundent virtutem: & furorem ejus, qui fecit illos, placabunt. *Eccli.* 39. 33.

Unde reddit hominem cæcum & mutum. Matth. 12.

Angeli mali a Deo reprimuntur, ne quantum volunt, poſſint.

ECce univerſa, quæ habet, in manu tua ſunt: tantum in eum ne extendas manum tuam. *Job* 1. 12.

Ecce in manu tua eſt: veruntamen animam illius ſerva. *Ibid.* 2. 6.

Unde

Unde nec in porcos quidem, niſi permiſſi, intrare potuerunt. Matth. 8. 31.

Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. *Luc.* 22. 31.

Ab homine repelluntur per gratiæ aſſiſtentiam.

DEus autem pacis conteret Satanam ſub pedibus veſtris velociter. *Rom.* 16. 20.

Nolite locum dare diabolo. *Epheſ.* 4. 27.

Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias diaboli. *Item* 6. 11.

Subditi eſtote Deo, reſiſtite autem diabolo, & fugiet a vobis. *Jacob* 4. 7.

Cui reſiſtite fortes in fide. 1. *Pet.* 5. 9.

Scribo vobis adoleſcentes, quoniam viciſtis malignum. 1. *Joan.* 2. 14.

Per Deum expelluntur.

VEſpere autem facto obtulerunt ei multos dæmonia habentes: & ejiciebat ſpiritus verbo. *Matth.* 8. 16.

Egreſſis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem. Et ejecto dæmonio, locutus eſt mutus: & miratæ ſunt turbæ. *Ibid.* 9. 32.

Tunc oblatus eſt ei dæmonium habens, cæcus & mutus: & curavit eum, ita ut loqueretur, & videret. *Ibid.* 12. 22. *Item* cap. 17. 14. Marc. Lucæ 4. 33. 8. 2. cap. 5. 1. c. 7. 32. c. 9. 16. 11. 17. 18.

Per homines.

ET convocatis duodecim diſcipulis, dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum, ut ejicerent eos. *Matt.* 10. 1. *Vide etiam* Marc. 3. 15. Luc. 9. 1.

Reverſi ſunt autem ſeptuaginta duo cum gaudio dicentes: Domine, etiam dæmonia ſubjiciuntur nobis in nomine tuo. *Luc.* 10. 17.

Si autem ego in Beelzebub ejicio dæmonia: filii veſtri in quo ejiciunt? *Ibid.* 11. 19.

Tentaverunt autem quidam & de circumeuntibus Judæis exorciſtis, invocare ſuper eos, qui habebant ſpiritus malos, nomen Domini Jeſu. *Actor.* 19. 13.

Angelorum ruina.

ECce qui ſerviunt ei, non ſunt ſtabiles: & in Angelis ſuis reperit pravitatem. *Job* 4. 18.

Ecce inter ſanctos ejus nemo immutabilis, & cæli non ſunt mundi in conſpectu ejus. *Ibid.* 15. 15.

Ejeci te de monte Dei, & perdidi te o Cherub. ... Et elevatum eſt cor tuum in decore tuo. *Ezech.* 28. 16. 17.

Vos ex parte diabolo eſtis: & deſideria patris veſtri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit: quia non eſt veritas in eo: cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur; quia mendax eſt, & pater ejus. *Joan.* 8. 44.

Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reſervari. 2. *Pet.* 2. 4.

Angelos vero, qui non ſervaverunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis ſub caligine reſervavit. *Judæ* 6.

Angelorum nomine appellantur Doctores & Prædicatores.

ECce videntes clamabunt foris, Angeli pacis amare flebunt. *Iſai.* 33. 7.

Labia enim ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum eſt. *Malac.* 2. 7.

Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. Et ſtatim veniet ad templum ſuum Dominator, quem vos quæritis: & Angelus teſtamenti, quem vos vultis. *Ibid.* 3. 1.

Hic eſt enim de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. *Matth.* 11. 10.

Sicut ſcriptum eſt in Iſaia. Propheta. (Malach. 3.) Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit, &c. *Marc.* 1. 2. *Idem* Luc. 7. 27. *habetur.*

Puto enim, quod Deus nos Apoſtolos noviſſimos oſtendit, tamquam morti deſtinatos: quia ſpectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus. 1. *Cor.* 4. 9.

Angelo Epheſi Eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit, qui tenet ſeptem ſtellas in dextera ſua, qui ambulat in medio ſeptem candelabrorum aureorum. *Apoc.* 2. *Vid.* & v. 8. *Item* v. 10. & v. 18.

Et Angelo Eccleſiæ Sardis ſcribe: Hæc dicit, qui habet ſeptem ſpiritus Dei, & ſeptem ſtellas: Scio opera tua, quia nomen habes quod vivas, & mortuus es, &c. *Ibid.* 3. 1. verſ. 7. & 14.

TITULUS XL.

Anima.

ANima, quæ peccaverit, ipſa morietur. *Ezech.* 18. 4.

Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. *Matt.* 10. 28.

Quid enim proderit homini, ſi lucretur mundum totum, & detrimentum animæ ſuæ faciat? aut quid dabit homo commutationis pro anima ſua? *Marc.* 8. 36.

Animæ quorumdam piorum ſtatim poſt mortem ſunt cum Chriſto: contra eos, qui dicunt illas uſque in diem judicii quieſcere.

AUdemus autem, & bonam voluntatem habemus, magis peregrinari a corpore, & præſentes eſſe ad Dominum. 2. *Cor.* 5. 8. *Vide &* Phil. 1. 24.

Et audivi vocem de cælo dicentem mihi: Scribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit Spiritus, ut requieſcant a laboribus ſuis: opera enim illorum ſequuntur illos. *Apoc.* 14. 13.

TITULUS XLI.

Animæ immortalitas.

COngregatuſque eſt (*Abraham*) ad populum ſuum. *Ex quo patet, quod in alio ſæculo habeat populum, per conſequens quod immortalis.* Geneſ. 25. 8. *Vide etiam* ſimile dictum de Iſaac Gen. 35. 29. & de Jacob Gen. 49. 29.

Deſcendam ad Filium meum lugens in infernum. *Unde credebat eum ibi eſſe ſecundum ſpiritum.* Geneſ. 37. 35.

Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob. *Atqui non mortuorum, ſed viventium Deus.* Exod. 3. 6. *Confer* Matth. 22. 32. Marc. 12. 26. Luc. 20. 37.

Deſcenderuntque vivi in infernum. *Num.* 16. 33. *Vide &* v. 30.

Si Saul credidiſſet, Samuelem penitus, quantum ad animam fuiſſe extinctum, non petiviſſet ipſum ſuſcitari. 1. *Reg.* 28. 11.

Ego vadam magis ad eum, *ſcilicet in æternitatem*: ille vero non revertetur ad me. 2. *Reg.* 12. 23.

Domine Deus meus, revertatur, obſecro, anima pueri hujus in viſcera ejus. 3. *Reg.* 17. 21.

Et nunc Domine ſecundum voluntatem tuam fac mecum, & præcipue in pace recipi ſpiritum meum. *Tob.* 3. 6.

Et revertatur pulvis in terram ſuam, unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. *Eccleſ.* 12. 7.

Ex verbis illis, quæ dicunt damnati in inferno, oſtendunt vivere tam bonos, quam malos in alio ſæculo. Sapient. 5.

Si in præſenti tempore ſuppliciis hominum eripiar, ſed manum omnipotentis nec vivus, nec defunctus effugiam. 2. *Mach.* 6. 26. *Vide &* 2. Mach. 7. *Ubi ex verbis matris generoſæ & ejuſdem filiorum patet, quod quantum ad animam non credebant ſe perire.*

Razias complexus inteſtina ſua, projecit ſuper turbas, invocans Dominatorem vitæ ac ſpiritus, ut hæc illi iterum redderet, & ſic obiit. 2. *Mach.* 14. 46.

Nolite timere illos, qui occidunt corpus, animam vero non poſſunt occidere &c. *Matth.* 10. 28.

Domine Jeſu, accipe ſpiritum meum. *Actor.* 7. 58.

Scimus enim, quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis. 2. *Cor.* 5. 1.

Deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. *Philip.* 1. 23.

TITULUS XLII.

Antichriſtus, & ejus regnum.

H*Abitantibus poſt reductam captivitatem ſecure filiis Iſrael in oppidis ſuis, adducet Dominus in noviſſimis diebus contra eos Gog cum exercitu grandi: ſed & hunc cum ſuo exercitu multis cladibus poſtea conſumet.* Ezech. 38. *gladius uniuſcujuſque in fratrem ſuum dirigetur.* Ibid. 21. *Vide &* cap. 39.

Poſt hæc aſpiciebam in viſione noctis, & ecce beſtia quarta terribilis, atque mirabilis, & fortis nimis: dentes ferreos habebat magnos, comedens atque comminuens, & reliqua pedibus ſuis conculcans: diſſimilis autem erat ceteris beſtiis, quas videram ante eam, & habebat cornua decem, &c. *Dan.* 7. 7. Poſt hoc volui diligenter diſcere de beſtia quarta, quæ erat diſſimilis valde ab omnibus & terribilis nimis: dentes & ungues ejus ferrei: comedebat, & comminuebat, & reliqua pedibus ſuis conculcabat. Ibid. 19. Porro cornua decem ipſius regni, decem reges erunt: & alius conſurget poſt eos, & ipſe potentior erit prioribus, & tres reges humiliabit. Ibid. 24.

De uno autem ex eis egreſſum eſt cornu unum modicum, & factum eſt grande contra Meridiem, & contra Orientem, & contra fortitudinem. *Ibid.* 8. 9. Et poſt regnum eorum cum creverint iniquitates, conſurget rex impudens facie, & intelligens propoſitiones: & roborabitur fortitudo ejus, ſed non in viribus ſuis: & ſupra quam credi poteſt, univerſa vaſtabit: & proſperabitur & faciet. Et interficiet robuſtos, & populum ſanctorum ſecundum voluntatem ſuam, & dirigetur dolus in manu ejus: & cor ſuum magnificabit, & in

& in copia rerum omnium occidet plurimos, & contra principem Principum conſurget, & ſine manu conteretur. Ibid. c. 8. v. 9.

Confirmavit autem pactum multis hebdomada una: & in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia & ſacrificium: & erit in templo abominatio deſolationis: & uſque ad conſummationem & finem perſeverabit deſolatio. *Ibid.* 9. 27. *Vide &* Zach. 11. 15.

In tempore autem illo conſurget Michael princeps magnus, qui ſtat pro filiis populi tui: & veniet tempus, quale non fuit ab eo, ex quo gentes eſſe cœperunt, uſque ad tempus illud. *Ibid.* 12. 1.

Surgent enim pſeudo Chriſti, & pſeudo Prophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi. *Matth.* 24. 24.

Multi enim venient in nomine meo, dicentes, quia ego ſum: & multos ſeducent. *Marc.* 13. 6.

Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me: ſi alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis. *Joan.* 5. 43.

Ego ſcio, quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces in vos: non parcentes gregi. Et ex vobis ipſis exſurgent viri loquentes perverſa, ut abducant diſcipulos poſt ſe. *Actor.* 20. 29.

Ne quis vos ſeducat ullo modo: quoniam niſi venerit diſceſſio primum, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adverſatur, & extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur; ita ut templo Dei ſedeat, oſtendens ſe, tamquam ſit Deus. 2. *Theſſ.* 2. 3. Epheſ. 5. 6.

Spiritus autem manifeſte dicit, quia in noviſſimis temporibus diſcedent quidam a fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam, prohibentium nubere, abſtinere a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & ii, qui cognoverunt veritatem. 1. *Tim.* 4. 1.

Erunt homines ſe ipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, protervi, tumidi, & voluptatum amatores magis quam Dei: habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. 2. *Tim.* 3. 2.

Pſeudoprophetæ multos ſeducent, verum acriter punientur, ſicut de malis actum eſt tempore diluvii, &c. 2. *Pet.* 2. Ibid. 3. 3.

Filioli, noviſſima hora eſt: & ſicut audiſtis, quia Antichriſtus venit, & nunc Antichriſti multi facti ſunt: unde ſcimus, quia hora noviſſima eſt. 1. *Joan.* 2. 18. Quis eſt mendax niſi is, qui negat, quoniam Jeſus eſt Chriſtus? Hic eſt Antichriſtus, qui negat Patrem & filium. *Ibid.* 22.

Et omnis ſpiritus, qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt: & hic eſt Antichriſtus, de quo audiſtis, quoniam venit, & nunc jam in mundo eſt. *Ibid.* 4. 3.

Quoniam multi ſeductores exierunt in mundum, qui non confitentur Jeſum Chriſtum veniſſe in carnem: hic eſt ſeductor & Antichriſtus. 2. *Joan.* 7.

Subintroierunt enim quidam homines (qui olim præſcripti ſunt in hoc judicium) impii, Dei noſtri gratiam transferentes in luxuriam, & ſolum Dominatorem, & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum negantes. *Judæ* 4. *&* 10.

Et cum finierint teſtimonium ſuum, beſtia quæ aſcendit de abyſſo, faciet adverſum eos bellum, & vincet illos, & occidet eos. *Apoc.* 11. 7. *Vide &* Ibid. 13.

Et tertius Angelus ſecutus eſt illos, dicens voce magna: Si quis adoraverit beſtiam, & imaginem ejus, & acceperit characterem in fronte ſua aut in manu ſua: & hic bibet de vino iræ Dei, quod miſtum eſt mero in calice iræ ipſius, & cruciabitur igne & ſulphure in conſpectu Angelorum ſanctorum & ante conſpectum Agni. *Ibid.* 14. 9. *Vide* c. 17. & 19. 20. & c. 20. 2. 8.

TITULUS XLIII.

Antiqua via inquirenda & obſervanda, & a novis declinandum.

SApientiam omnium antiquorum exquiret ſapiens, & in Prophetis vacabit. *Prov.* 22. 28. Ne tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt patres tui. *Eccli.* 39. 1. *Vide* Ibidem 8. 11.

Hæc dicit Dominus: State ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea: & invenietis refrigerium animabus veſtris. *Jerem.* 6. 16.

Rogo autem vos Fratres, ut obſervetis eos, qui diſſenſiones, & offendicula præter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt, & declinate ab illis. *Rom.* 16. 17.

Miror, quod ſic tam cito transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Chriſti, in aliud Evangelium: quod non eſt aliud, niſi ſunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt convertere Evangelium Chriſti. Sed licet nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit. *Gal.* 1. 6.

O Timothee, depoſitum cuſtodi, devitans profanas vocum novitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt. 1. *Tim.* 6. 20.

Erit enim tempus, cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros, prurientes auribus, & a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. 2. *Tim.* 4. 3.

Vos igitur fratres, præſcientes, cuſtodite: ne inſipientium errore traducti excidatis a propria firmitate. 2. *Petr.* 3. 17.

Vos, quod audiſtis ab initio, in vobis permaneat: ſi in vobis permanſerit quod audiſtis ab initio, & vos in Filio & Patre manebitis. 1. *Joan.* 2. 24.

Omnis, qui recedit, & non permanet in doctrina Chriſti, Deum non habet: qui permanet in doctrina, hic & Patrem & Filium habet. 2. *Joan.* 9.

Vos autem, cariſſimi, memores eſtote verborum, quæ prædicta ſunt ab Apoſtolis Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui dicebant vobis, quoniam in noviſſimo tempore venient illuſores ſecundum deſideria ſua ambulantes in impietatibus. *Judæ* 17.

De traditionibus.

STate, & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram. 2. *Theſſ.* 2. 14.

Laudo autem vos fratres, quod per omnia mei memores eſtis: & ſicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis. 1. *Cor.* 11. 2.

Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus conſtituit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam adquiſivit ſanguine ſuo. *Act.* 20. 28.

Cum Paulus & Timotheus pertranſirent civitatem Syriæ, & Ciliciæ, confortabant Eccleſias, & præcipiebant eis cuſtodire præcepta Apoſtolorum, & decreta ſeniorum. *Ibid.* 16. 4.

Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per Dominum Jeſum: 1. *Theſſ.* 4. 2. Itaque qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum, qui etiam dedit Spiritum Sanctum ſuum in nobis. Ibid. 8.

Obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis: ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedit vobis. *Hebr.* 13. 17.

Qui autem ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio... morietur homo ille. *Deut.* 17. 12.

Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate, & facite: ſecundum opera vero eorum nolite facere. *Matth.* 23. 2.

Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus. *Ibid.* 18. 17.

Qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit. Qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui miſit me. *Luc.* 10. 16.

Plura habens vobis ſcribere, nolui per chartam & atramentum: ſpero enim me futurum apud vos, & os ad os loqui, ut gaudium veſtrum plenum ſit. 2. *Joan.* 12.

Multa habui tibi ſcribere: ſed nolui per atramentum & calamum ſcribere tibi. 3. *Joan.* 13.

Quæ & didiciſtis, & accepiſtis, & audiſtis, & vidiſtis in me, hæc agite: & Deus pacis erit vobiſcum. *Philip.* 4. 9.

TITULUS XLIV.

Apoſtata.

SAlva animam tuam: noli reſpicere poſt tergum: nec ſtes in omni circa regione, ſed in monte ſalvum te fac, ne & tu ſimul pereas. *Geneſ.* 19. 17. Reſpicienſque uxor ejus poſt ſe, verſa eſt in ſtatuam ſalis. Ibid. 26.

Ne deſcendas in Ægyptum, ſed quieſce in terra, quam dixero tibi. *Ibid.* 26. 2.

Non egrediar, ſed hic moriar, *dixit Joab* 3. *Reg.* 2. 30.

Quare dereliquimus domum Dei? 2. *Eſdr.* 13. 11.

Homo apoſtata vir inutilis, graditur ore perverſo, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum, & omni tempore jurgia ſeminat. *Prov.* 6. 12.

Sicut avis tranſmigrans de nido ſuo, ſic vir qui derelinquit locum ſuum. *Ibid.* 27. 8.

Si ſpiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te, locum tuum ne dimiſeris. *Eccleſ.* 10. 4.

Ne manſeris in operibus peccatorum: confide autem in Deo, & mane in loco tuo: facile eſt enim in oculis Dei ſubito honeſtare pauperem. *Ibid.* 11. 22.

Sic conflabitur indignatio mea ſuper vos, cum ingreſſi fueritis Ægyptum. *Jerem.* 42. 18. Nolite intrare Ægyptum. Ibid. 19.

Reverſi ſunt, ut eſſent abſque jugo: facti ſunt quaſi arcus doloſus. *Oſeæ* 7. 16.

Viſitabo . . . ſuper omnes qui induti ſunt veſte peregrina. *Soph.* 1. 8.

Et in quamcumque domum intraveritis, ibi manete, & inde ne exeatis. *Luc.* 9. 4. Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei. Ibid. 62.

Nolite tranſire de domo in domum. *Ibid.* 10. 7.

Homo quidam deſcendebat ab Jeruſalem in Jericho, (*de clauſtro ad ſeculum*) & incidit in latrones. Luc. c. 10. v. 30.

Miror, quod ſic tam cito transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Chriſti. *Galat.* 1. 6.

Memor eſto itaque unde excideris: & age pœnitentiam, & prima opera fac: ſin autem, venio tibi. *Apoc.* 2. 5.

TITULUS XLV.

Apoſtoli habuerunt libros.

PEnulam quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros, maxime autem membranas. 2. *Tim.* 4. 13.

Hortantur ad ſtudium legendi.

DUm venio, attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ. Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum presbyterii. 1. *Timoth.* 4. 13.

Apoſtoli & Prophetæ habuerunt ſpiritum Dei.

PErge igitur, & ego ero in ore tuo: doceboque te quid loquaris. At ille: Obſecro, inquit, Domine, mitte quem miſſurus es. *Exod.* 4. 12. *Vide &* Matth. 10. 20.

Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo ejus per linguam meam. 2. *Reg.* 23. 2.

Adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel quem videram in viſione a principio, cito volans tetigit me in tempore ſacrificii veſpertini: & docuit me, & locutus eſt mihi, dixitque: Daniel, nunc egreſſus ſum, ut docerem te, & intelligeres, &c. *Dan.* 9. 21.

Numquid non ſunt verba quæ locutus eſt Dominus in manu Prophetarum priorum, cum adhuc Jeruſalem habitaretur? *Zac.* 7. 7. Et factum eſt verbum Domini ad Zachariam dicens: Hæc ait Dominus exercituum, dicens: Judicium verum judicate, & miſericordiam, & miſerationes facite, unuſquique cum fratre ſuo. Ibid. 8.

Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis. *Matth.* 10. 20.

Et cum duxerint vos tradentes, nolite præcogitare quid loquamini: ſed quod datum vobis fuerit in illa hora, id loquimini: non enim vos eſtis loquentes, ſed Spiritus Sanctus. *Marc.* 13. 11. *Vide &* Luc. 12. 12. c. 21. 15.

Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum: Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere, &c. *Joan.* 14. 16.

Et repleti ſunt omnes (*Apoſtoli*) Spiritu Sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. *Actor.* 2. 4.

Et cum oraſſent, motus eſt locus in quo erant congregati: & repleti ſunt omnes Spiritu Sancto, & loquebantur verbum Dei cum fiducia. *Ibid.* 4. 31.

Et abiit Ananias, & introivit in domum: & imponens ei manus, dixit: Saule frater, Dominus miſit me Jeſus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, ut videas, & implearis Spiritu Santo. *Ibid.* 9. 17. 2. Corinth. 13. 3.

Et cum impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus ſuper eos, & loquebantur linguis, & prophetabant. *Ibid.* 19. 6.

Nos autem non ſpiritum hujus mundi accepimus, ſed Spiritum qui ex Deo eſt, ut ſciamus quæ a Deo donata ſunt nobis, &c. 1. *Cor.* 2. 12.

Itaque qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum: qui etiam dedit Spiritum ſuum ſanctum in nobis, &c. 1. *Theſſ.* 4. 8.

Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu Sancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines. 2. *Petr.* 1. 21. 2. Corinth. 3. 16. 1. Petr. 1. 11.

Apoſtolis contulit Chriſtus poteſtatem ordinis.

CŒnantibus autem eis, accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum: & accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic eſt enim ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. *Matth.* 26. 26.

Et accepto pane gratias egit, & dedit eis, dicens: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. *Luc.* 22. 19. *Idem* Marc. 14. 22.

Quoniam Dominus Jeſus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit & dixit: Accipite & manducate; Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in mea commemorationem. 1. *Cor.* 11. 23.

Apoſtolis contulit poteſtatem juriſdictionis in foro interiori.

ACcipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. *Joan.* 20. 23. Matth. 18. 18.

Apo-

Apoſtolis contulit poteſtatem juriſdictionis in foro exteriori. Vide Excommunicatio.

AMen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo: quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo. *Matth.* 18. 18. Joan 20. 23. Item habetur.

Apoſtoli eliguntur ex diſcipulis. Luc. 6. 13. *mittuntur ad annuntiandum regnum Dei in Judæam.* Matth. 10. 5. *mittuntur in univerſum mundum.* Matth. 28. 19. Marc. 16. 15. Actor. 1. 8. cap. 13. 46.

TITULUS XLVI.

Apparitiones Dei, Angelorum, & hominum.

A*Pparuit Deus Adam ante peccatum: Adamo, Evæ, & ſerpenti poſt peccatum. Gen. c.* 2. *&* 3.

Apparuit Deus Cain, & monuit ipſum ante fratricidium: poſt hoc vero dure arguit eum. Ibid. capit. 4.

Apparuit Deus Noe, & præcepit ipſi ſtructuram Arcæ, & alia cum ipſo locutus. Ibid. c. 6. *&* 9. *Vide per totum Caput.*

Apparuit Deus Abraham, & dixit ad eum. Egredere de terra tua &c. *Ibid. c.* 12.

Apparuit iterum Deus Abraham. Eodem c. v. 7.

Factus eſt ſermo Domini ad Abraham: *qui dedit ei præceptum circumciſionis. Ibid. c.* 15. & 17.

Apparuit autem ei (*Abraham*) Dominus in convalle Mambre --- cumque elevaſſet oculos apparuerunt ei tres viri ſtantes ante eum. *Ibid. c.* 18.

Apparuerunt Loth duo Angeli, ſedentes in foribus civitatis. Ibid. c. 19. 2.

Venit autem Deus ad Abimelech per ſomnium nocte. *Ibid. c.* 20. 3.

Apparuit Angelus in deſerto Agar & filio ejus. Ibid. c. 21. 17.

Tentavit Deus Abraham, & dixit ad eum: Tolle filium &c. *Ibid. c.* 22.

Apparuit Angelus de cælo &c. eodem v. 15.

Apparuit Dominus Iſaac, & ait. Ne deſcendas in Ægyptum. *Ibid.* 26. 2.

Apparuit Deus multoties Jacob. Ibid. 28. *Vid. &* Gen. 31. 3.

Vidit Laban Deum in ſomnis ſibi loquentem. Ibid. 31. 24.

Manſit ſolus: & ecce vir luctabatur cum eo uſque mane: qui cum videret, quod eum ſuperare non poſſet, tetigit nervum femoris ejus, & ſtatim emarcuit. *Ibid.* 32. 24.

Apparuitque ei (*Moyſi*) Dominus in flamma ignis de medio rubi: & videbat, quod rubus arderet, & non combureretur. *Exod.* 3. 2.

Apparitio Angeli ad Baalam. Num. 22. 21.

Cum autem eſſet Joſue in agro urbis Jericho, levavit oculos, & vidit virum ſtantem contra ſe, evaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum, & ait: Noſter es, an adverſariorum? &c. *Joſue* 5. 13.

Aſcenditque Angelus Domini de Galgalis ad locum fluentium. *Judic.* 2. 1.

Venit Angelus Domini. & apparuit Gedeoni. Ibid. c. 6.

Apparuit Angelus Domini Uxori Manue. Ibid. c. 13. *Vide &* v. 20.

Addidit Dominus, ut appareret in Silo, quoniam revelatus fuerat Dominus Samueli in Silo. 1. *Reg.* 3. 20.

Apparuit autem Dominus Salomoni per ſomnium nocte. 3. *Reg.* 3. 5. 3. *Vid. &* 3. *Reg.* 9. 2. *item* 2. Reg. 11. 9.

Angelus Domini apparuit Eliæ fugienti: eidem etiam apparuit Deus. Ibid. 19. 5. verſ. 11. ibid.

Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit: & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum. 4. *Reg.* 6. 17.

Multa leguntur de apparitione Angeli Raphaelis. In Lib. Tob.

Apparuit enim illis quidam eques, terribilem habens ſeſſorem. 2. *Mach.* 3. 25.

Cum vehemens pugna eſſet inter Timotheum & Judam Machabæum, apparuerunt adverſariis de cælo viri quinque &c. *Ibid.* 10. 29.

Ter legitur apparuiſſe Angelum Domini Joſeph: ſemel cum eſſet Maria adhuc gravida: deinde cum eſſet Salvator natus: & tertio in Ægypto. Matth. c. 1. *&.* 2. Marc. 1. 10. Joan. 1. 31.

Apparuit Spiritus Sanctus in ſpecie columbæ ſuper Chriſtum baptizatum. Ibid. 3. 16. Luc. 3. 22.

Et ecce, apparuerunt ei Moyſes & Ælias, &c. *Ibid.* 17. 3.

Et monumenta aperta ſunt: & multa corpora Sanctorum qui dormierant ſurrexerunt. Et exeuntes de monumentis --- venerunt in ſanctam civitatem, & apparuerunt multis. *Ibid. cap.* 27. 52.

Et ecce terræmotus factus eſt magnus. Angelus enim Domini deſcendit de cælo: & accedens revolvit lapidem, & ſedebat ſuper eum. *Ibid.* 28. 2. Et ecce, Jeſus occurrit illis dicens: Avete. Illæ autem acceſſerunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum. Ibid. 9.

Et veſtimenta ejus facta ſunt ſplendentia & candida nimis, velut nix; qualia fullo non poteſt ſuper terram candida facere. &c. *Marc.* 9. 2.

 Et in-

Et introeuntes in monumentum, viderunt juvenem ſedentem in dextris, coopertum ſtola candida, & obſtupuerunt. *Marc.* 16. 5. Surgens autem mane prima Sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalenæ, de qua ejecerat ſeptem dæmonia, &c. Ibid. 9. 12. 14.

Surgens Chriſtus mane, apparuit primo Mariæ Magdalenæ. *Ibid.* 16. 9.

Et ecce, duo viri loquebantur cum illo, erant autem Moyſes & Elias viſi in Majeſtate. *Luc.* 9. 30.

Et factum eſt, dum mente conſternatæ eſſent de iſto, ecce duo viri ſteterunt ſecus illas in veſte fulgenti. *Ibid.* 24. 4. *Item* v. 15. & 16.

Chriſtus apparet diſcipulis ſuis, Emmaus euntibus: & tandem diſcipulis ſuis omnibus, & exprobravit eis incredulitatem eorum. Ibid. 24. v. 13. 36.

Et vidit duos Angelos in albis ſedentes, unum ad caput, & unum ad pedes, ubi poſitum fuerat corpus Jeſu. *Joan.* 20. 12. Hæc cum dixiſſet, converſa eſt retrorſum, & vidit Jeſum ſtantem: & non ſciebat, quia Jeſus eſt. *Ibid.* 14. Cap. 21. 1.

Cumque intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo viri adſtiterunt juxta illos in veſtibus albis. *Actor.* 1. 10.

Apparet Chriſtus Sauli & Ananiæ. Ibid. 9.

Cornelio apparet Angelus: ut & Petro Ibid. c. 10. v. 9.

Apparet Angelus Petro in carcere, & eduxit eum. Ibid. c. 12.

Et viſio per noctem Paulo oſtenſa eſt: vir Macedo quidam erat ſtans, & deprecans eum, & dicens: Tranſiens in Macedoniam, adjuva nos. *Ibid.* 16. 9.

Dixit autem Dominus nocte per viſionem Paulo: Noli timere, ſed loquere, & ne taceas: propter quod ego ſum tecum, & nemo apponetur tibi, ut noceat te. *Ibid.* 18. 9. *Vide &* Actor. 23. *& in* Apocal. *per totum*.

TITULUS XLVII.

Aqua.

Aqua nominatur perſecutio.

NOn me demergat tempeſtas aquæ, neque abſorbeat me profundum, neque urgeat ſuper me puteus os ſuum. *Pſal.* 68. 16.

Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis, de manu filiorum alienorum. *Ibid.* 143. 7.

Qui dimittit aquam, caput eſt jurgiorum: & antequam patiatur contumeliam judicium deſerit. *Prov.* 17. 14.

Et deſcendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat ſuper firmam petram. *Matth.* 7. 25.

Similis eſt homini ædificanti domum, qui fodit in altum, & poſuit fundamentum ſuper petram: inundatione autem facta, illiſum eſt flumen domui illi, & non potuit eam movere: fundata enim erat ſuper petram. *Luc.* 6. 48.

Et miſit ſerpens ex ore ſuo poſt mulierem, aquam tamquam flumen, ut eam faceret trahi a flumine. *Apoc.* 12. 15.

Aqua nihil nocumenti adfert electis Dei.

ET ingreſſi ſunt filii Iſrael per medium ſicci maris: erat enim aqua quaſi murus, a dextra eorum, & læva. *Exod.* 14. 22.

Qui convertit mare in aridam: in flumine pertranſibunt pede: ibi lætabimur in ipſo. *Pſ.* 65. 6.

Cum tranſieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te: cum ambulaveris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te. *Iſa.* 43. 2.

Et ego dixi: Abjectus ſum a conſpectu oculorum tuorum: verumtamen rurſus videbo templum ſanctum tuum. *Jonæ* 2. 5.

Aquæ aſſimilantur cognitio Dei & dona ſpiritus ſancti.

NOn nocebunt, & non occident in univerſo monte ſancto meo: quia repleta eſt terra ſcientia Domini ſicut aquæ maris operientes. *Iſa.* 11. 9.

Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. *Ibid.* 12. 3.

Tunc ſaliet ſicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum, quia ſciſſæ ſunt in deſerto aquæ, & torrentes in ſolitudine. *Ibid.* 35. 6.

Glorificabit me beſtia agri, dracones, & ſtruthiones: quia dedi in deſerto aquas, flumina in invio, ut darem potum populo meo, electo meo. *Ibid.* 43. 20.

Effundam enim aquas ſuper ſitientem, & fluenta ſuper aridam, &c. *Ibid.* 44. 3.

Et omnis anima vivens, quæ ſerpit, quocumque venerit torrens, vivet: & erunt piſces multi ſatis, poſtquam venerint illuc aquæ iſtæ, & ſanabuntur, & vivent omnia, ad quæ venerit torrens. *Ezech.* 47. 9.

Et erit in die illa: Exibunt aquæ vivæ de Jeruſalem: medium earum ad mare orientale, & medium earum ad mare noviſſimum: æſtate & in hieme erunt. *Zach.* 14. 8.

Reſpondit Jeſus, & dixit ei: Si ſcires donum Dei, & quis eſt, qui dicit tibi: Da mihi bibere: tu forſitan petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam vivam. *Joan.* 4. 10.

Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura (Deut. 18. 15.) flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. *Ibid.* 7. 38.

Aqua benedicta. Vide Benedictio.

Arbitrium. Vide Liberum arbitrium.

TITULUS XLVIII.

Arbor.

Arbor bona ex fructu probatur.

NOn poteſt arbor bona malos fructus facere: neque arbor mala bonos fructus facere. *Matth.* 7. 38.

Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum: aut facite arborem malam, & fructum ejus malum: ſiquidem ex fructu arbor agnoſcitur. *Ibid.* 12. 33.

Non eſt enim arbor bona, quæ facit fructus malos: neque arbor mala faciens fructum bonum. Unaquæque enim arbor de fructu ſuo cognoſcitur. Neque enim de ſpinis colligitur ficus: neque de rubo vindemiant uvam. *Luc.* 6. 43.

Arbor bona commendatur.

ET erit tamquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo, & folium ejus non defluet. *Pſal.* 1. 3.

Ego autem ſicut oliva fructifera in domo Dei. *Ibid.* 51. 10.

Juſtus ut palma florebit: ſicut cedrus Libani multiplicabitur. *Ibid.* 91. 13. Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri florebunt. *Ibid.* 91. 14.

Et erit quaſi lignum, quod tranſplantatur ſuper aquas, quod ad humorem mittit radices ſuas: & non timebit, cum venerit æſtus. Et erit folium ejus viride, & in tempore ſiccitatis non erit ſolicitum, nec aliquando deſinet facere fructum. *Jerem.* 17. 8.

Et ſuper torrentem orietur in ripis ejus ex utraque parte omne lignum pomiferum: non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus ejus. *Ezech.* 47. 12.

Omnis arbor bona bonos fructus facit: mala autem arbor malos fructus facit. *Matth.* 7. 17.

Arbor mala reprobatur.

NOn te extollas in cogitatione animæ tuæ velut taurus, ne forte elidatur virtus tua per ſtultitiam, & folia tua comedat, & fructus tuos perdat, & relinquaris velut lignum aridum in eremo. *Eccli.* 6. 2.

Et ſcient omnia ligna regionis, quia ego Dominus humiliavi lignum ſublime, & exaltavi lignum humile, & ſiccavi lignum viride, & frondere feci lignum aridum. Ego Dominus locutus ſum, & feci. *Ezech.* 17. 24.

Jam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. *Matth.* 3. 10.

Mala arbor, malos fructus facit. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. *Ibid.* 7. 17.

Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea ſua, & venit quærens fructum in illa, & non invenit. Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce anni tres ſunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio. Succide ergo illam, ut quid etiam terram occupat? At ille reſpondens dicit illi: Domine dimitte illam & hoc anno, uſquedum fodiam circa illam, & mittam ſtercora: & ſiquidem fecerit fructum: ſin autem in futurum ſuccides eam. *Luc.* 13. 6.

TITULUS XLIX.

Arca Noe.

FAc tibi arcam de lignis lævigatis: manſiunculas in arca facies, & bitumine linies intrinſecus & extrinſecus. *Gen.* 6. 14.

Ingreſſo Noe cum ſuis in arcam, ſtatim aqua omnium montium cacumina 15. *cubitis ſuperavit, reliquaque animantia ſubmerſit. Ibid.* 7.

Imminutis paullulum aquis diluvii, poſt corvi ac columbæ emiſſionem, Noe cum univerſis, qui in arca continebantur, egreditur, & altari extructo offert holocauſta. Ibid. 8.

Propter quem, cum aqua deleret terram, ſanavit iterum ſapientia, per contemptibile lignum juſtum gubernans. *Sap.* 10. 4.

Sed & ab initio cum perirent ſuperbi gigantes , ſpes orbis terrarum ad ratem confugiens , remiſit ſæculo ſemen nativitatis , quæ manu tua erat gubernata . *Sap.* 14. 6. Gen. 6. 4. 7. 7.

Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes & bibentes , nubentes & nuptui tradentes, uſque ad eum diem quo intravit Noe in arcam, & non cognoverunt donec venit diluvium , & tulit omnes : ita erit & adventus filii hominis . *Matth.* 24. 38. Gen. 7. 7.

Edebant & bibebant , uxores ducebant , dabantur ad nuptias uſque in diem , quo intravit Noe in arcam , & venit diluvium , & perdidit omnes . Similiter ſicut factum eſt in diebus Loth: edebant & bibebant: emebant & vendebant: plantabant & ædificabant: Qua die autem exiit Loth a Sodomis, pluit ignem & ſulphur de cælo, & omnes perdidit: ſecundum hæc erit, qua die filius hominis revelabitur. *Luc.* 17. 27.

Fide Noe, reſponſo accepto de his, quæ adhuc non videbantur , metuens aptavit , arcam in ſalutem domus ſuæ, per quam damnavit mundum: & juſtitiæ quæ per fidem eſt , heres eſt inſtitutus. *Hebr.* 11. 7.

Qui increduli fuerant aliquando, quando exſpectabant Dei patientiam in diebus Noe cum fabricaretur arca: in qua pauci, id eſt, octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam. 1. *Petr.* 3. 20.

Arca fœderis Domino paratur.

ARcam de lignis Sethim compingite, cujus longitudo habeat duos & ſemis cubitos : latitudo cubitum & dimidium: altitudo cubitum ſimiliter & ſemiſſem. Et deaurabis eam auro mundiſſimo intus & foris, facieſque ſupra coronam auream per circuitum, &c. *Exod.* 25. 10. In qua pones teſtimonium quod dabo tibi. Ibid. 21.

Aſſumitur in caſtra contra Philiſtæos.

CUmque veniſſet arca fœderis Domini in caſtra, vociferatus eſt omnis Iſrael clamore grandi, & perſonuit terra (*Capitur arca*) verſ. 11.) Et arca Dei capta eſt : duo quoque filii Heli mortui ſunt, Ophni & Phinees. 1. *Reg.* 4. 5.

Arca quid in ſe continebat.

ET ſcribam in tabulis verba, quæ fuerunt in his, quas ante confregiſti, poneſque eas in arca. *Deut.* 10. 2.

Tollite librum iſtum, & ponite eum in latere arcæ fœderis Domini Dei veſtri, ut ſit ibi contra te in teſtimonium. *Ibid.* 31. 26.

In arca autem non erat aliud, niſi duæ tabulæ lapideæ, quas poſuerat in ea Moyſes in Horeb, quando pepigit Dominus fœdus cum filiis Iſrael cum egrederentur de terra Ægypti. 3. *Reg.* 8. 9. 2. Paral. 5. 10. *idem verbatim habetur.*

Aureum habens thuribulum & arcam teſtamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua urna aurea habens manna, & Virga Aaron quæ fronduerat, & tabulæ teſtamenti, &c. *Hebr.* 9. 4.

TITULUS L.

Arma ſpiritualia congrua.

JUſtitia indutus ſum, & veſtivi me ſicut veſtimento & diademate, judicio meo. *Job.* 29. 14.

Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum. Induet pro thorace juſtitiam, & accipiet pro galea judicium certum. Sumet ſcutum inexpugnabile , æquitatem. *Sap.* 5. 18.

Indutus eſt juſtitia ut lorica, & galea ſalutis in capite ejus. Indutus eſt veſtimentis ultionis, & opertus eſt quaſi pallio zeli. *Iſa.* 59. 17.

Sed neque exibeatis membra veſtra arma iniquitatis Deo: ſed exhibete vos Deo , tamquam ex mortuis viventes: & membra veſtra arma juſtitiæ Deo. *Rom.* 6. 13.

Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis : ſicut in die honeſte ambulemus. *Ibid.* 13. 12.

State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti loricam juſtitiæ , & calceati pedes in præparatione Evangelii pacis: in omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere : & galeam ſalutis aſſumite , & gladium ſpiritus , quod eſt verbum Dei. *Eph.* 6. 14.

Nos autem qui diei ſumus, ſobrii ſimus, induti loricam fidei, & caritatis, & galeam ſpem ſalutis: quoniam non poſuit nos Deus in iram, ſed in adquiſitionem ſalutis per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. 1. *Theſſ.* 5. 8.

Arma ſpiritualia ſunt utilia.

NAm arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti. 2. *Cor.* 10. 4.

De cetero fratres , conſortamini in Domino , & in potentia virtutis ejus . Induite vos armaturam Dei , ut poſſitis ſtare adverſus inſidias diaboli : quoniam non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem , ſed adverſus principes & poteſtates, adverſus Rectores mundi tenebrarum harum , contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. *Epheſ.* 6. 10. Propterea accipite armaturam Dei ut poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare. Ibid. 3.

Nam & qui certat in agone, non coronatur, niſi qui legitime certaverit. 2. *Tim.* 2. 5.

Bonum certamen certavi, curſum conſummavi , fidem ſervavi . In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, juſtus judex: non ſolum autem mihi ſed & his, qui diligunt adventum ejus. *Ibid.* 4. 7.

Arioli, Vide & incantationes.

TITULUS LI.

Arrogantia. Vide & vana gloria.

ET ait Joſue ad Achan. Fili mi, da gloriam Domino Deo Iſrael. *Joſ.* 7. 19.

Regemque ſæculorum exaltate in cordibus veſtris. *Tob.* 13. 6.

Omnem arrogantem humilia. *Job* 40. 6.

Afferte Deo gloriam & honorem. *Pſal.* 28. 2. Date gloriam laudi ejus. Ibid. 65. v. 2.

Arrogantiam & ſuperbiam — deteſtor. *Prov.* 8. 13.

Abominatio Domini eſt omnis arrogans. *Ibid.* 16. 5.

Noli extollere te in faciendo opere tuo. *Eccli.* 10. 29.

Quia dies Domini exercituum ſuper omnem ſuperbum & excelſum , & ſuper omnem arrogantem: & humiliabitur. *Iſa.* 2. 12.

Arrogantiam fortium humiliabo. *Ibid.* 13. 11.

Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quaſi flos agri &c. *Ibid.* 40. 6.

Gloriam meam alteri non dabo. *Ibid.* 42. 8.

Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua. *Jerem.* 9. 23. 1. Cor. 1. 31. 2. Cor. 10. 17.

Arrogantia tua decepit te, & ſuperbia cordis tui. *Ibid.* 49. 16.

Et reſpondebit arrogantia Iſrael in faciem ejus. *Oſea* 5. 5.

Viſitabo ſuper omnem, qui arroganter ingreditur ſuper limen, in die illa. *Soph.* 1. 9.

Cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: Servi inutiles ſumus : quod debuimus facere, fecimus. *Luc.* 17. 10.

Non poteſt homo accipere quidquam, niſi ei fuerit datum de cælo. *Joan.* 3. 27.

Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab invicem accipitis: & gloriam , quæ a ſolo Deo eſt , non quæritis? *Ibid.* 5. 44.

Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei. *Ibid.* 12. 43.

Quid autem habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, &c. 1. *Cor.* 4. 7.

Non eſt bona gloriatio veſtra. 1. *Cor.* 5. 6.

Nam ſi evangelizavero, non eſt mihi gloria. *Ibid.* 9. 16.

Qui gloriatur, in Domino glorietur: non enim qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt. 2. *Cor.* 10. 17. 1. Corinth. 1. 31.

Si gloriari oportet, non expedit quidem. 2. *Cor.* 12. 1.

Non efficiamur inanis gloriæ cupidi. *Gal.* 5. 26.

Hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt: non ex operibus, ut ne quis glorietur. *Epheſ.* 2. 8.

Confeſtim autem percuſſit eum (*Herodem*) Angelus Domini, eo quod non dediſſet honorem Deo: & conſumptus a vermibus expiravit. *Act.* 12. 23.

Nolite itaque errare fratres mei dilectiſſimi. Omne datum optimum; & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens a Patre luminum. *Jac.* 1. 16.

TITULUS LII.

Artifex.

Artifices, qui dies nocteſque aliis occupantur, jubentur non immiſcere ſe Eccleſiaſticis rebus.

QUi tenet aratrum , & qui gloriatur in jaculo , ſtimulo boves agitat, & converſatur in operibus eorum , enarratio ejus in filiis taurorum . Cor ſuum dabit ad verſandos ſulcos, & vigilia ejus in ſagina vaccarum . Sic omnis Faber & Architectus , qui noctem tamquam diem tranſigit, qui ſculpit ſignacula ſculptilia , & aſſiduitas ejus variat picturam : cor ſuum dabit in ſimilitudinem picturæ, & vigilia ſua perficiet opus. Sic faber ferrarius ſedens juxta incudem, & conſiderans opus ferri: vapor ignis uret carnes ejus, & in calore fornacis concertatur: vox mallei innovat aurem ejus, & contra ſimilitudinem vaſis oculus ejus &c. *Eccli.* 38. 26. uſq. ad 30. Omnes hi in manibus ſuis ſperaverunt, & unuſquiſque in arte ſua ſapiens eſt. Sine his omnibus non ædificatur civitas , & non habitabunt , nec inambulabunt , & in Eccleſiam non tranſilient: ſuper ſellam judicis non ſedebunt, & teſtamentum judicii non intelligent, neque palam

palam facient diſciplinam & judicium, & in parabolis non invenientur: ſed creaturam ævi confirmabunt, & deprecatio illorum in operatione artis, accommodantes animam ſuam, & conquirentes in lege Altiſſimi. Ibid. 35.

Aſpectus incautus. Vide Oculorum cuſtodia.

TITULUS LIII.

Aſperitas veſtium.

INdutus eſt Jacob cilicio, lugens filium ſuum multo tempore. *Gen.* 37. 34.

Dixit autem David ad Joab, & ad omnem populum qui erat cum eo: Scindite veſtimenta veſtra, & accingimini ſaccis, & plangite exequias Abner. 2. *Reg.* 3. 31.

Ponamus itaque ſaccos in lumbis noſtris. 3. *Reg.* 20. 31. Accinxerunt *facies* lumbos ſuos *Servi Benadad.* Ibid. 32.

Operuit (*Acab*) cilicio carnem ſuam. *Ibid.* 21. 27.

Viditque omnis populus cilicium, quo veſtitus erat ad carnem intrinſecus. 4. *Reg.* 6. 30.

Et induerunt ſe ſacerdotes ciliciis. *Judith.* 4. 9. Præcincti *ciliciis offerebant ſacrificium.* Ib. 16.

Saccum conſui ſuper cutem meam, & operui cinere carnem meam. *Job.* 16. 16.

Ego autem cum mihi moleſti eſſent, induebar cilicio. *Pſal.* 34. 13.

Poſui veſtimentum meum cilicium. *Ibid.* 68. 12.

Et erit — pro faſcia pectorali cilicium. *Iſa.* 3. 24.

Accingite vos ciliciis, plangite & ululate. *Jerem.* 4. 8.

Filia populi mei accingere cilicio, & conſpergere cinere. *Cap.* 6. 26.

Plange, quaſi virgo accincta ſacco ſuper virum pubertatis ſuæ. *Joel.* 1. 8. Ingredimini, cubate in ſacco miniſtri Dei mei. Ibid. 13.

Prædicaverunt jejunium, & veſtiti ſunt ſaccis. *Jonæ* 3. 5. Et indutus eſt (*Rex*) ſacco, & ſedit in cinere. Ibid. 6.

Mathathias & filii ejus operuerunt ſe ciliciis. 1. *Mach.* 2. 14.

Jejunaverunt (*Judas Machabeus & ſui*) *induerunt ſe ciliciis & cinere. Ibid.* 3. 47.

Ipſe Joannes habebat veſtimentum de pilis camelorum, &c. *Matth.* 4. 4.

Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt. *Ibid.* 11. 8. Olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent. Ibid. 21.

TITULUS LIV.

Aſtrologia.

Aſtrologia quædam humana.

FIant luminaria in firmamento cæli, & dividant diem ac noctem, & ſint in ſigna & tempora, & dies, & annos: ut luceant in firmamento cæli, & illuminent terram. *Gen.* 1. 14.

Cunctis diebus terræ ſementis & meſſis, frigus & æſtus, æſtas & hiems, nox & dies non requieſcent. *Ibid.* 8. 22.

Ne forte elevatis oculis ad cælum, videas ſolem & lunam, & omnia aſtra cæli, & errore deceptus adores ea, & colas, quæ creavit Dominus Deus tuus in miniſterium cunctis gentibus, quæ ſub cælo ſunt. *Deut.* 4. 19.

Qui fecit luminaria magna ... ſolem in poteſtatem diei, ... lunam & ſtellas in poteſtatem noctis. *Pſal.* 135. 7. & 8.

Quare dies diem ſuperat, & iterum lux lucem, & annus annum a ſole? A Domini ſcientia ſeparati ſunt, facto ſole, & præceptum cuſtodiente. *Per Dei ſapientiam dividuntur. Eccli.* 33. 7.

Dicebat autem ad turbas: Cum videritis nubem orientem ab occaſu, ſtatim dicitis: Nimbus venit, & ita fit. Et cum auſtrum flantem, dicitis: Quia æſtus erit: & fit. *Luc.* 12. 54. *Vide &* Matth. 16. 2.

Quædam vana.

EGo ſum Dominus, faciens omnia, extendens cælos ſolus, ſtabiliens terram, & nullus mecum. Irrita faciens ſigna divinorum, & ariolos in furorem vertens. *Iſa.* 44. 24.

Convertens ſapientes retrorſum, & ſcientiam eorum ſtultam faciens. *Ibid.* 47. 13.

Defeciſti in multitudine conſiliorum tuorum. Stent & ſalvent te augures cæli, qui contemplabantur ſidera, & ſupputabant menſes, ut ex eis annuntiarent ventura tibi. Ecce, facti ſunt quaſi ſtipula, ignis combuſſit eos. Non liberabunt animam ſuam de manu flammæ. *Ibid.* 47. 13.

Juxta vias Gentium nolite diſcere, & a ſignis cæli nolite metuere, quæ timent Gentes: quia leges populorum vanæ ſunt. *Jerem.* 10. 2.

TITULUS LV.

Aſtutia & calliditas mala.

PRimum aſtutiæ exemplum habemus in diabolo, qui non virum ſed mulierem in ſerpente, qui erat aſtutior cunctis animantibus, aggreſſus eſt & ſeduxit. Gen. 3. *Vide* 2. ad Corinth. 11. 3.

Vide aſtutiam Laban, qui voluit ſeducere Jacob, primo in uxore, ſecundo in mercede. Ib. c. 29. & 30.

Aſtutia Rachelis. Ibid. c. 31.

Nec agas quidquam callide.... ut benedicat tibi Dominus Deus. *Deut.* 15. 10.

Aſtutia Gabaonitarum. Joſue 9. 4.

Qui apprehendit ſapientes in aſtutia eorum. *Job.* 5. 13. *Vide* 1. Cor. 3. 19.

Simulatores & callidi provocant iram Dei. Ibid. 36. 13.

Ut detur parvulis aſtutia. *Prov.* 1. 4.

Intelligite parvuli aſtutiam. *Ibid.* 8. 5.

Qui autem diſſimulat injuriam, callidus eſt. *Ibid.* 12. 16.

Aſtutus omnia agit cum conſilio. *Ibid.* 13. 16.

Aſtutus conſiderat greſſus ſuos. *Ibid.* 14. 15. *Vide. &* v. 18.

Stultus irridet diſciplinam patris ſui: qui autem cuſtodit increpationes, aſtutior fiet. *Ib.* 15. 5.

Callidus vidit malum, & aſcondit ſe. *Ibid.* 22. 3. *Vide* & cap. 27. 12.

Radix ſapientiæ cui revelata eſt? & aſtutias illius quis agnovit? *Eccli.* 1. 6.

Omnis aſtutus agnoſcit ſapientiam. *Ibid.* 18. 28.

Eſt vir aſtutus multorum eruditor, & animæ ſuæ inutilis eſt. *Ibid.* 37. 21.

Comprehendam ſapientes in aſtutia eorum. 1. *Cor.* 3. 19. *Vide* Job. 5. 13.

Non ambulantes in aſtutia. 2. *Cor.* 4. 2.

Cum eſſem aſtutus, dolo vos cepi. 2. *Cor.* 12. 16.

TITULUS LVI.

Avaritia.

PRovide autem de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint avaritiam. *Exod.* 18. 21.

Reſponditque Achan Joſue & dixit ei: Vere ego peccavi Domino Deo Iſrael; & ſic & ſic feci. Vidi enim inter ſpolia pallium coccineum valde bonum, & ducentos ſiclos argenti, regulamque auream quinquaginta ſiclorum; & concupiſcens abſtuli, & abſcondi in terra contra medium tabernaculi mei, argentumque foſſa humo operui. *Joſue* 7. 20.

Et non ambulaverunt filii illius in viis ejus: ſed declinaverunt poſt avaritiam, acceperuntque munera, & perverterunt judicium. 1. *Reg.* 8. 3.

De Avaritia Giezi: uſque ad finem. 4. *Reg.* 5. 20.

Melius eſt modicum juſto, ſuper divitias peccatorum multas. *Pſal.* 36. 16. Mutuabitur peccator & non ſolvet, juſtus autem miſeretur & tribuet. *Ibid.* 21.

Sic ſemitæ omnis avari, animas poſſidentium rapiunt. *Prov.* 1. 19.

Qui confidit in divitiis ſuis, corruet: juſti autem quaſi virens folium germinabunt. *Ibid.* 11. 28.

Non inveniet fraudulentus lucrum: & ſubſtantia hominis erit auri pretium. *Ibid.* 12. 27.

Melius eſt parum cum timore Domini, quam theſauri magni & inſatiabiles. *Ibid.* 15. 16.

Conturbat domum ſuam, qui ſectatur avaritiam: qui autem odit munera, vivet. Ibid. 27.

Dux indigens prudentia, multos opprimet per calumniam: qui autem odit avaritiam, longi fient dies ejus. *Ibid.* 28. 16. Vir qui feſtinat ditari, & aliis invidet, ignorat quod egeſtas ſuperveniet ei. Ibid. 22.

Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ, dicentes: affer, affer. *Ibid.* 30. 15.

Avarus non implebitur pecunia: & qui amat divitias, fructum non capiet ex eis: & hoc ergo vanitas. *Eccleſ.* 5. 9.

Unus eſt, & ſecundum non habet — & tamen laborare non ceſſat, nec ſatiantur oculi ejus divitiis. *Eccleſ.* 4. 8. *Vide &* cap. 5. 9.

Væ, qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis, uſque ad terminum loci: numquid habitabitis vos ſoli in medio terræ? *Iſa.* 5. 8.

Qui projicit avaritiam — in excelſis habitabit. *Ibid.* 33. 15.

Omnes in viam ſuam declinaverunt, unuſquiſque ad avaritiam ſuam, a ſummo uſque ad noviſſimum. *Ibid.* 56. 11.

Propter iniquitatem avaritiæ ejus iratus ſum. *Ibid.* 57. 17. *Vide etiam* Amos 9. 1. Marc. 7. 22. Actor. 5. *De Anania & Saphira.* Actor. 16. v. 19. *de Quæſtuariis.* Item c. 19. 24. *De Demetrio,* c. 24. 26. Rom. 1. 29. 2. Cor. 9. 5. Epheſ. 4. 19. 2. Petr. 2. v. 3. & 14.

A minore quippe uſque ad majorem omnes avaritiæ ſtudent: a Propheta uſque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum. *Jerem.* 6. 13.

Propterea dabo mulieres eorum exteris, agros eorum heredibus: quia a minimo uſque ad maximum omnes avaritiam ſequuntur: a Propheta uſque ad Sacerdotem cuncti faciunt mendacium. *Ibid.* 8. 10.

Ecce comploſi manus meas ſuper avaritiam tuam, quam feciſti, & ſuper ſanguinem, qui effuſus eſt in medio tui. *Ezech.* 22. 13.

Væ qui congregat avaritiam malam domui ſuæ, ut ſit in excelſo nidus ejus, & liberari ſe putat de manu mali. *Habac.* 2. 9.

Menelaus autem propter eorum, qui in potentia erant, avaritiam, permanebat in poteſtate, creſcens in malitia ad inſidias civium. 2. *Mach.* 4. 50. & Cap. 10. 20.

Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, ubi ærugo & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt & furantur, &c. *Matth.* 6. 19.

Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam. *Ibid.* 26. 15. Joan. 12. 4.

Tunc videns qui eum tradidit, quod damnatus eſſet, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus Sacerdotum & Senioribus &c. & laqueo ſe ſuſpendit. *Ibid.* 27. 3.

Quid enim proderit homini, ſi lucretur mundum totum, & detrimentum animæ ſuæ faciat. *Marc.* 8. 36.

Dixitque ad illos: Videte & cavete ab omni avaritia, quia non in abundantia cujuſquam vita ejus eſt ex his, quæ poſſidet. *Luc.* 12. 15.

Vir autem quidam nomine Ananias cum Saphira uxore ſua vendidit agrum, & fraudavit de pretio agri conſcia uxore ſua: & afferens partem quamdam ad pedes Apoſtolorum poſuit, &c. *Actor.* 5. 1.

Petrus ait Simoni Mago: Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri. *Ibid.* 8. 20.

Neque fures, neque avari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt. 1. *Cor.* 6. 10.

Fornicatio autem & omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos. *Epheſ.* 5. 3.

Mortificate ergo membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram: fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & avaritiam, quæ eſt ſimulacrorum ſervitus. *Colloſ.* 3. 5.

Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas, &c. 1. *Tim.* 6. 9.

Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem: non ſuperbum, non iracundum, non vinolentum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidum. *Ad Titum* 1. 7. Quos oportet redargui, qui univerſas domos ſubvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia. Ibid. 11.

Sint mores ſine avaritia, contenti præſentibus: ipſe enim dixit: Non te deſeram, neque derelinquam. *Hebr.* 13. 5. Joſ. 1. 5.

Audiendum verbum Dei, vide verbum Dei.

T I T U L U S LVII.

Averſio a Deo Perverſitate humana peragitur.

DEreliquit Deum factorem ſuum, & receſſit a Deo ſalutari ſuo. *Deut.* 33. 15. Deum, qui te genuit, dereliquiſti, & oblitus es Domini creatoris tui. Ibid. 18.

Quæ eſt iſta tranſgreſſio? cur reliquiſtis Dominum Deum Iſræl? *Joſ.* 22. 16. Abſit a nobis hoc ſcelus, ut recedamus a Domino, & ejus veſtigia relinquamus. Ibib. 29.

Abſit a nobis, ut relinquamus Dominum, & ſerviamus diis alienis. *Ibid.* 24. 16. Si dimiſeritis Dominum, & ſervieritis diis alienis, convertet ſe, & affliget vos atque ſubvertet. Ibid. 20.

Clamaſtis ad me, & erui vos de manu eorum: & tamen reliquiſtis me, & coluiſtis deos alienos. *Judic.* 10. 12.

Vos reliquiſtis me (*dicit Dominus*) & ego reliqui vos in manu Seſac. 2. *Paral.* 12. 5.

Longe a peccatoribus ſalus. *Pſal.* 128. 155.

Et reliquit ducem pubertatis ſuæ, & pacti Dei ſui oblita eſt. *Prov.* 2. 17.

Longe eſt Dominus ab impiis. *Ibid.* 15. 29.

Perverſæ enim cogitationes ſeparant a Deo. *Sap.* 1. 3.

Ingratus ſenſu derelinquet liberantem ſe. *Eccli.* 29. 22.

Væ vobis viri impii, qui dereliquiſtis legem Domini altiſſimi. *Ibid.* 41. 11.

Dere-

Dereliquerunt Dominum, blaſphemaverunt Sanctum Iſrael, abalienati ſunt retrorſum. *Iſa.* 1. 4. Filios enutrivi & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me. Ibid. 2.

Iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſconderunt faciem ejus a vobis, ne exaudiret. *Ibid.* 59. 2. Multiplicatæ ſunt enim iniquitates noſtræ coram te, & peccata noſtra reſponderunt nobis: quia ſcelera noſtra nobiſcum, & iniquitates noſtras cognovimus, peccare & mentiri contra Dominum. Et averſi ſumus, ne iremus poſt tergum Dei noſtri, ut loqueremur calumniam, & tranſgreſſionem: concepimus, & locuti ſumus de corde verba mendacii: Et veritas, & æquitas non potuit ingredi. Et facta eſt veritas in oblivionem: & qui receſſit a malo, prædæ patuit. Ibid. 12.

Quid invenerunt patres veſtri in me iniquitatis, quia elongaverunt a me, & ambulaverunt poſt vanitatem, & vani facti ſunt? Ubi eſt Dominus? *Jerem.* 2. 5. Duo enim mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ vitæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas quæ continere non valent aquas. Ibid. 13. Quid vultis mecum judicio contendere? Omnes dereliquiſtis me, dicit Dominus. Ibid. 29.

Omnes qui te derelinquunt, confundentur: recedentes a te, in terra ſcribentur: quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum. *Ibid.* 17. 13.

Dereliquiſti fontem ſapientiæ. *Baruch.* 3. 12.

Peccavimus enim, & inique egimus recedentes a te: & deliquimus in omnibus: & præcepta tua non audivimus, nec obſervavimus, nec fecimus, ſicut præceperas nobis, ut bene nobis eſſet. *Dan.* 3. 29.

Projecit Iſrael bonum, inimicus perſequetur eum. *Oſea* 8. 3.

Et abierunt alius in villam ſuam, alius vero ad negotiationem ſuam. *Matth.* 22. 5.

Quædam converſæ ſunt retro Sathanam. 1. *Tim.* 5. 15.

Melius enim erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ, quam poſt agnitionem retrorſum converti ab eo. 2. *Pet.* 2. 21.

Habeo adverſum te, quod caritatem tuam primam reliquiſti. *Apoc.* 2. 4.

Aviditas mulierum. Vide mulierum aviditas.

B

T I T U L U S I.

Babylonica Captivitas.

Prædicitur ſeptuaginta annorum.

DIſperdamque terram veſtram, & ſtupebunt ſuper ea inimici veſtri, cum habitatores illius fuerint. Vos autem diſpergam in Gentes, & evaginabo poſt vos gladium, eritque terra veſtra deſerta, & civitates veſtræ dirutæ. *Levit.* 26. 32.

Teſtes invoco hodie cælum & terram, cito perituros vos eſſe de terra, quam tranſito Jordane poſſeſſuri eſtis: non habitabitis in ea longo tempore, ſed delebit vos Dominus, atque diſperget in omnes gentes, & remanebitis pauci in nationibus, ad quas vos ducturus eſt Dominus. *Deut.* 4. 26.

Ducet te Dominus, & regem, quem conſtitueris ſuper te, in gentem, quam ignoras tu & patres tui: & ſervies ibi diis alienis, ligno & lapidi, &c. *Ibid.* 28. 36. Adducet Dominus ſuper te gentem de longinquo, & de extremis terræ finibus, in ſimilitudinem aquilæ volantis cum impetu, cujus linguam intelligere non poſſis. *Ibid.* 49.

Et ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ ſunt in domo tua, & quæ condiderunt patres tui, uſque in diem hanc, in Babylonem: non remanebit quidquam, ait Dominus. 4. *Reg.* 20. 17.

Propterea captivus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam: & nobiles ejus interierunt fame, & multitudo ejus ſiti exaruit. *Iſa.* 5. 13.

Civitates Auſtri clauſæ ſunt, & non eſt, qui aperiat: translata eſt omnis Juda tranſmigratione perfecta: *Jerem.* 13. 19. Et diſſeminabo eos quaſi ſtipulam, quæ vento raptatur in deſerto. Ibid. 24.

Dixit Dominus: Ecce ego auferam de loco iſto in oculis veſtris, & in diebus veſtris, vocem gaudii, & vocem lætitiæ, vocem ſponſi & vocem ſponſæ. *Ibid.* 16. 9. Vide & cap. 25. 10.

Quia hæc dicit Dominus: Ecce ego dabo te in pavorem, te & omnes amicos tuos: & corruent gladio inimicorum ſuorum, & oculi tui videbunt: & omnem Judam dabo in manum regis Babylonis: & traducet eos in Babylonem, & percutiet eos gladio. *Ibid.* 20. 4. Tu autem Phaſſur & omnes habitatores domus tuæ ibitis in captivitatem: & in Babylonem venies, & ibi morieris, ibidem ſepelieris tu, & omnes amici tui, quibus propheta ſti mendacium. Ib. 6.

Hæc